

777
21.

RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS

JOHANNES THIELE,

MEDICINÆ DOCTOR, ANATOMES

AC BOTANICÆ PROFESSOR

PUBLICUS,

BETHLEHEMUM

Cives Academicos

invitat.

171

113
RECTOR
ACADEMIE WITTEBERGENSIS
JOHANNES THIEL

MEDICINAE DOCTOR, ANATOMES

AC BOTANICES PROFESSOR

PUBLICUS,


BETHLEHEMUM

Civis Academico

invitat

114

115



JESU FORTUNANTE!

וּשְׁקַנִּי מִיַּם מְבַאֵר בַּיַּת-לֶחֶם אֲשֶׁר בַּשָּׂעַר

*quis potabit me aquis ex cisterna de Bethle-
hem, quæ in porta? Bethlehemiticas tanto à Da-
vide expeti desiderio aquas, Cives Academici*

ex II. Sam. XXIII. 15. accipitis. Scribi vix potest, quantum hoc Maximi Regis votum interpretum exercuerit ingenia. Disputarunt *de tempore*, neq; hactenus convenerunt, cum belli illius Bethlemitici nulla amplius fiat mentio, quam in catalogo heroarum. Et non minor fuit etiam dis-
fensio *de loco*, in quo tunc temporis versabatur, cum aquæ hujus cupidine urgeretur. Odollam alii, Hierosolymam alii dicunt. Hierosolymam *Josephus* & stupor ille mundi *Tostatus* defendunt, quod David dicatur fuisse in præsidio, & quod spelunca Odollam ad explicandas acies non videatur fuisse idonea. Pro Odollam militat Complutensis Theologus *Caspar Sanctius* in oppido eruditus ad Libb. Regum commentationibus & in h. l. f. m. 889. qui Tostati nodos hac ratione explicat: *Pleriq; eo inclinant, ut putent ad speluncam Odollam tunc temporis constitisse Davidem, & inde per medios hostes à tribus viris ferro apertam esse viam ad cisternam Bethlehem.*

Et

Et quidem textus in aliam explicationem nisi admodum
 invitus trahi non potest. In quam sententiam ideo ma-
 gis inclino, quia non videtur Odollam à valle gigantum se-
 parari posse, quæ vallis etiam vocatur Repharm, ut habes
 1. Paral. c. II. quo loco, ut ex c. 5. liquet, David duo cum
 Palestinis commisit secunda bella; quæ deinceps, quia ibi
 fugati sunt, atq; dispersi Palestini, ab eventu appellari
 cœpit Baal-pharasin, Ibi autem auditur præsidii nomen,
 sicut etiam tam hoc loco, quàm C. 1. Paralip. & David e-
 rat in præsidio. Sicut etiam C. 2. Regg. c. 5. v. 17. ubi Da-
 vid descendisse dicitur in præsidium, cum Philistini essent
 diffusi in valle Raphaim. Porro speluncam Odollam voca-
 tam esse præsidium habemus ex l. 1. Reg. c. 22. ubi v. 4. & 5.
 spelunca Odollam, per Antonomasiam opinor, appellatur præ-
 sidium. Dixitq; Gad Propheta ad David (cum esset in spe-
 lunca Odollam) noli manere in præsidio, proficiscere & va-
 de in terram Juda. Nec leviori Doctorum certamini
 expositæ aquæ fuerunt. Judæis illa hæsit opinio per
 metaphoram Aquas esse explicandas. R. David Kimchi
 Legem ad h. l. intelligit. כִּי יִשְׁקֶנִי מִיָּם דֶּרֶךְ מִשְׁרַל כִּי
 הֵם הַתּוֹרָה Verba illa: quis potabit me aquis, me-
 taphoricè sunt explicanda, nam vox aqua idem significat ac
 lex. R. Salomo Isacides (quem vulgò Jarchi, sed minus ac-
 curatè & cum Judæorum sarcasmo dicunt, notante Ri-
 chardo Simone in Catalogo Authorum Judæorum Histo-
 riæ Criticæ V. T. suffixo p. 152. Salomo Jarbi male vulgò
 Jarhi, Isaac enim vocabatur. Originem hujus erroris e-
 ruditiſſima suspicione videtur esse affecutus Andreas Aco-
 luthus in Proœmio ad Aqvas amaras p. 2. sqq.) Synedrium
 indi-

אמר רבותינו הוצרך לשאול
 שאר משהדרין היושבים בשער בית לחם
 indicari putat: *Ajunt Rabbini nostri: consilia quærere opus habuit*
à Synedrio, quod sedebat in porta Bethlehemi. A-
pellæ hujus mentem & cujus consilii David in-
digens fuerit aliorum Judæorum subsidio instru-
ctus uberius explicat Abulensis in h.l. Qv.22. Non
misisse David ad aquam illam fortes de presidio, imo
neque desiderasse aquam, sed misisse viros, qui sa-
pientes consulerent, qui tunc erant in Bethlehem
quorum nota tunc erat & celebrata sapientia &
ab illis discerent, an David comburere posset sege-
tem Israelitarum, ut etiam cremaret & perderet
Philistinos, qui in illa latentes Hebræis securis &
incantis insidias struerent. Et addunt respon-
sum à sapientibus Bethlehem, id salva religione
non posse. Sed somnia vendere hos homines ne-
mo non intelligit, quos h.l. mireris aliquid siti
Davidicæ detractum velle, cui in Tractatu Foma
fol. 761. calicem tantæ capacitatis tribuunt, ut
centenos & videnos unum logos contineat,
cum scriptum sit calix meus רוי: Vox autem
Revaja in numeris valet 121. Christiani inter-
pretes non pauci per aquas patriæ libertatem de-
notatam volunt. Ita Sanctius in h. l. Cornelius à
Lapide ad h. l. fol. 87. Verum Davidis, ut cor-
dati Regis, desiderium magis ferebatur in ipsam
Bethlehem, quam in aquam ejus: nimirum o-
ptabat ipse patriam suam è manibus Philistæo-
rum extorqueri & sibi ac Israeli reddi. Porro

tres fortes audito hoc Davidis desiderio, ut suam in eum fidem & promptitudinem ostenderent, ipso inscio & ut mox patuit, invito per medios hostes hanc aquam ei attulerunt. Hæc à *Lapide*. Consentit *B. Ursinus* in *Adversariis sacris* p.478.

Enimverò non video quare sit à littera textus recedendum. Davidem dicimus, cum in præsidio esset constitutus, habuisse aquas ad bibendum minus commodas; necessitate ista affectum, meminisse fontis in urbe patria, quem toties extrema siti pressus summa cum animi voluptate (neque enim parentum egestas, quæ de eruditè differit *Hieronymus Sopranes* in *David* de f.m. 46. delictiorem potum suppeditabat) & lætitia libaverat: quapropter tanto desiderio expetiisse aquas istas vero non est absolum, ut aliquantulum reficeretur tot curis & negotiorum multitudine fatigatus. Vide consentientem *B. Geierum* P. II. der *Sterblichkeit* / pag, 54. Neque ineptum dixeris, si Davidem divinitus afflatum simul respexisse quis adserat fontem vitæ Bethlehemi expectandum; qui naturæ sitim propriam non tolleret, sed qui animæ efflagitationibus siti ista longè ardentioribus & calidioribus satisfaceret, quo ista liberati æternis, quibus proh dolor Adami primi omnium parentis immodica siti & plane alieno boni vetiti amore excideramus, restituamur gaudiis felicitatibusque. Confirmant

firmant hæc à nobis dicta *Ambrosius Apolog. I.*
David. cap. VII. Sitiebat David, non aquam de
lacu, qui est in Bethlehem, sed oriundum ex vir-
gine Christum Spiritu prævidebat. Volebat ergo
bibere non aquam fluminis, sed potum gratiæ spi-
ritualis; hoc est, non aquarum sitiebat elemen-
tum, sed sanguinem Christi. Denique non bibit
oblatam aquam, sed Domino libavit, significans
sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum;
illud sacrificium, in quo esset remissio peccatorum;
illum sitire se fontem æternum, non qui periculis
quæreretur alienis, sed pericula aliena depelleret.
Et Venerandus Facultatis Theologicæ Senior Ma-
gnus CALOVIUS in Bibliis Illustratis ad h. l.
Noluit bibere, non quod aliis præbere non posset,
sed quod periculo vitæ & sanguinis aqua constite-
rit, & ut indicaret, non tam corporalem quam
spiritualem sitim Messie in Bethlehem aliquando
prodituri sibi hoc desiderium excitasse.

At qui de vestra siti sit, *Cives Academici?*
& nos abire Bethlehemum versus invitamur; agi-
te, sequamur preces. Ibi namque fons exortus
est, qui aquis admodum salubribus scatet; quip-
pe quibus destitutis æterna siti nobis foret pere-
undum: his autem excitati ad fontem ipsum
felicitatis summæ volvimur, & æternis commo-
dis potimur. Ducem verò quæritis, qui viam
vos edoceat? neque hunc deesse quisquam videt,
cum

cum in primis *VIRI* *admodum Reverendi* huic rei
suam operam & studium consecratum velint.
Monstrabunt ergò Vobis iter in feriis his solen-
nioribus quibus vos comites adjungatis animum-
que gratum præmio declaretis. Hoc unum est,
quod à Vobis obnixè petimus: *Eamus Bethebe-*
num! P.P. in Vigiliis Natalitiis
A. O. R. M. DC. LXXXV.

F I N I S.



